

386

384

390

371

380

395

375

435

335

485

285

Ende

Anfang

De valle Josaphat, et de torrente Cedron.

Ab hoc loco consequenter descendimus in vallem Josaphat, usque in torrentem Cedron. Haec vallis alio nomine dicitur Cela, secundum Hieronymum, et torrens Cedron dicitur Chrinarus. Dicitur autem vallis Josaphat eo, quod rex Josaphat solempne sepulchrum (**B**) in ea sibi excidi fecerat, de quo dicetur fol. 176 A. Infimum illius vallis dicitur torrens Cedron, qui quidem torrens aestivo tempore siccus et torridus est, sed hiemali tempore ex revolutione nivium fluit aquis. Dicitur etiam, quod aliquando super torrentem illum fuerint cedri plantati, a quibus dictus sit torrens Cedron et cedrorum. Haec vallis et torrens venit a parte aquilonari et contra austrum descendit, dividens montem civitatis et templi et montem Syon et Gion, a monte Oliveti et a monte offensionis, et continuatur cum valle Siloe et cum valle Hermon, quae contra orientem flectitur, et usque ad Sodomam extenditur. Unde torrens Cedron, quando aquas habet, decurrunt aquae ejus usque in mare mortuum per longum spatium gyrans in curvitate vallis. Nonnulli tamen volunt dicere, quod torrens Cedron habuerit olim continuas aquas fluentes, et adhuc habeat sub terra meatum suum, quia vallis illa per consequentes devastations civitatis sanctae fuit ruinis injectis repleta in imo, et sub illis ruinis dicunt decursum torrentis sempiternum esse. Quod ego non credo esse verum, quia per vallem illam descendi usque in Sodomam, longe a Jerusalem per profundissimos torrentes, ubi nullae ruinae sunt injectae, et tamen non guttam aquae semper fluentis potui considerare, sed solum siccum torrentem, per quem suo tempore est aquarum decursus ad horam, nec sit dubium alicui, si torrens ille habuisset antiquitus aquas semper ex fonte manantes, hoc sacra Scriptura nequaquam tacuisset. Et si adhuc sub terra esset sempiternus ejus fluxus, Jerosolymitae adjutorio omnium orientalium foderent usque ad ripam, quia aquae vivae pretiosae sunt in Jerusalem, et indigent eis, et dudum ars inventa fuisset, quod aquae sursum in civitatem directae fuissent, sicut aquae fontis Siloe, quas dicit Nicol. de Lyra in civitatem sursum quondam cursum habuisse; de quo tamen multum miror, cum fons ille sit profunde sub monte Syon.

24 *

